



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De Sacramento Baptismi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

*De consecr.
dist. 4. capit.
Presbyteri
qui.*

viros graues ac pios, non autem per minores Clericos, eadem reuerenter ad Ecclesiam suam perferant; nec in via, in tabernis potitent, nec aliud quod sanctitatem suam, in hac sanctificationum portatione non decet, committant.

*Ibid. cap. Si
quis: & Fa
bianus PP.
ep ad omnes
orientales
Episcop. c. 1.*

17. Mox vbi noua olea acceperint, vetera aut super piscinam comburāt, aut in fomentum lampadis, quæ honoratori in templo loco est, conuertant ac consumant: Non autem in die cœnæ Domini, aut priusquam noua olea acceperint: ne ob defectum olei populus aliquando salutari extremæ vñtionis Sacramento destituatur.

*Stat. Frid. c.
4. pa 38. d.*

18. Si ante nouorum oleorum consecrationem vetera inciperent deficere; nec inde vnde ista petita & accepta fuerunt, haberi possit, quo imminenti prouideatur indigentia: veteri oleo consecrato, guttatim tantillum infundatur puri ac recentis olei oliuarum non consecrati, vt consecratum aliqua parte illud superet, ac ita non consecrato permisceatur, vt nihil olei accipere sit, cui non aliquid consecrati olei fuerit permixtum.

DE BAPTISMO.

I. **B**aptismi susceptio & administratio nunquam in longum tempus differatur, ne patrinorum quidem inuitandorum, vel alia quacunq; de causa: cum id in paruulis ac primum natis, quorum valde infirma ac incerta valetudo est, sine æternæ vitæ periculo fieri raro possit; ac temerè speretur vota parentum, cum sanctissimæ Trinitatis inuocatione, ad salutem infantium suffragari posse, vbi Euangelica lex: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest intrare in regnum Dei*: tam manifestè reclamet, & aliud vsu suo doceat Apostolica traditio, & perpetua Ecclesiæ fides & obseruatio; quæ humanis ingenijs longè præferenda est.

2. Consentaneum tamen fuerit diuinis officijs, & Ecclesiasti-

*Conc. Trid.
de peccat. o
rigin. sess. 5.
Concil. Mil
leuit. c. 2. c.
Si baptiza
ta est caro,
& cap. Nul
la præter:
De consecr.
dist. 4.
Ioan. 3.
D. Aug. Ep.
28. ad Hiero
nym. et li. 3.
de Anima et*

eius origine cap. 9. item de peccatorum meritis & remiss. lib. 1. cap. 23. & lib. 3. cap. 4.

clericalibus sanctionibus, valentiores aliquot pueros (quādo sine periculo aliquo fieri poterit) & adultos omnes si quando tales baptizandi erunt, in Sabbathum sanctum Paschæ, & Pentecostes baptizandos seruare, cum totum illius temporis officium, huic rei seruiat, & adultorum Baptismus hisce dumtaxat diebus fieri soleat. Vnde etiānum mos est ab Apostolorum temporibus in Ecclesia seruatus, ac nostra sanctione, antiqua religione, sanctius seruandis, vt fons baptismatis hisce diebus mūdetur, atque solemni ritu innouetur.

Cōc. prou. sub Adol. 3. c. Inoleuit In cōf. & Decr. p. 448. d. De cōf. di. 4. c. Nō ratione auctoritatis: & aliquot seq. Syric. P. P. ep. ad Himeriū Tarracon. Episc. c. 2. Cōc. Antist. 18. Gelas. P. P. c. 12. ep. ad Episc. per Lucaniā cōstitutos. Cōc. Gerund. c. 3. Greg. P. P. 2. ep. 3. ad Cler. Conc. Tribur. c. 12. Matisc. 2. ca. 3.

3. Mundetur autem posthac, non quidem ab homine Laico; sed ab eo cui ex sacro ordine potestas est, ea quæ sacra Chrismatis vnctione sanctificata sunt, tangere atque mundare; à Sacerdote nimirum vel Diacono.

4. In Canonicorum Collegijs, vbi fontis Baptismalis nullus potest esse vsus, seruetur constitutio Concilij Prouincialis sub Adolpho tertio habiti, cap. *Inoleuit*. in censuris & decretis. *Pag. 448. d.*

5. Vt non solum à sordibus atq; immunditie; sed ab omni re & actione, quæ sacram regenerationis aquam, vel contaminare vel prophanare, quouis modo possit; fontes baptismales sancti sint: semper operculis & septis conclusi custodiantur, serarumq; clauis nō apud alium quā Pastores sint, eorumq; Vicarios. *Stat. S. fr. c. 4. pag. 38. b. c.*

6. Vt baptismi Sacramentum omni cum pietate & grauitate peragatur, neque huc parum sobrii & vino madentes patrini compareant, nunquam à prandio, nisi necessitas aut periculum infanti imminens cogat: sed vt in Cōc. prou. sub Adol. 3. prouidè statutum fuit, semper antè prandium baptismus fiat, & susceptores cum amicis ad missam diei compareāt, eamq; pro veteris Ecclesię ritu, ad salutem suscepti infantis, aut adulti baptizandi, deuoto corde Deo patri offerant. *Conc. prou. sub Adol. 3. c. De testanda. In censu & Decr. pa. 449. a. b. et in his que à Decanis et Pastoribus inquirenda sunt §. 21. p. 485. d.*

Kkk 2 7. Sine

Conc. provin.
sub Herm. an.
5 parte 7 ca.
6.

Adol. 3. in
preparato-
riis ad visita-
tionem pag.
475. a. b. Con-
Laodicense.
cap 7. & 8.
Conci. Carib.
4. cap. 85. cap.
Paruuli &
sequenti. De
consec. dist.
4. Yricium
qui iam &

7. Sine omni pompa, fastu, ac superbia, ad sacrum Bap-
tisma deferantur paruuli: vt qui renuntiatu sunt Sa-
thanæ, omnibusque pompis, & operibus omnibus eius;
hoc offerentium fide, humilitate, ac Christiana mode-
stia præ se ferant, actūq; demonstrent.

8. Adulti antequam baptizentur, primū Catechi-
zantur, & fide, spe, alijsq; Christianæ religionis, ac iusti-
tiæ & Charitatis Christianæ elementis sufficienter im-
buantur; imbuti vero crebro examinentur, & iusto tem-
poris spatio probentur, vt sinceritas intentionis, & con-
stātia volūtatis magis explorata sit, magisq; cōfirmetur,
atq; veteris vitæ detestatio, in agnitione, pœnitētia, & hu-
mili ac simplici, omniū retro delictorū, coram Deo con-
fessione, firma ac perfecta sit, suisq; numeris absoluta.

PP. cap. 2. epistola ad Himerium. Celestinus PP. 1. cap. 12. ad Episcopos Gallie cap. Omnis
sequenti. De consecrat. dist. 4.

9. Quod si ex hæresi venerint, etiam curandum erit,
vt cauteriatam conscientiam, omneq; præiudicium de-
ponant, & damnatis omnibus hæresibus, Catholicæ
fidei professionem publicè faciant, iuxta formam à Pio
Quarto præscriptam; eoq; diutius & diligentius proben-
tur, quo vel causa sustentationis vitæ temporalis, vel ho-
noris, aut cuiuscunq; alterius boni huius seculi, maior
fictionis possit subesse suspicio.

10. In mortis (a) articulo facta pro ratione periculi in-
structione, ac explorata periclitantis fide & desiderio, si-
ne solemnitate à quolibet homine cuiuscunq; ordinis,
conditionis, sexus, sectæ, aut vitæ, quocunq; loco ac mo-
mento (vbicunq; euenerit) siue in flumine, siue in (b) ma-
ri, siue in fonte administrari baptisma poterit: Sacerdos
tamen, qui solus est ordinarius huius Sacramenti mini-
ster, quando adesse poterit, præferendus erit Diacono, Di-
acono Subdiacono, Clerico Laico; Catechumenus (c)
Catholicus hæretico baptizato, vir fœminæ, nisi illa ba-
ptismi substantialia, viro melius nosceret; vel in ipso
pariendi actu, honestatis ac pudoris gratia, viro esset
ante.

(a) Conc. Car
thag. 3 c. 34.

Conc. Arausi-
1. cap. 11. De
consecrat. di-
4. cap. Ac
g. o. antes.

(b) V. i. i. r. o. r.
PP. in episto-
la ad Theo-
philum cap.

Si qui ne-
cessitate, &
cap. Mulier,
& seq. et ca.

Sanctum
est Bap-
tisma. De con-
secr. Dist. 4.

Conc. Gerun-
4 Conc. El-
leri cap. 38.

Epistolæ PP.

anteponenda. Nimia (d) vero necessitate cogente, etiam Patri & matri prolem suam, in extremo vitæ suæ positâ, baptismatis vnda abluere, sacri Canones permittunt.

1. D. August. epist. 50. (c) cap. Non dubito. De consecrat. Dist. 4. cap. 1. De Clericis non ordinandis.

(d) cap. Ad limina causa 30. quest. 1.

II. Quod si extra necessitatem Laicus, vel alius quisquam à proprio Sacerdote Clericus baptizandi ministerium usurpauerit, & seruata legitima materia ac forma, id facere intenderit, quod Ecclesia Catholica facit; vel si proprius Sacerdos, solemnes baptismi ritus, ac cæremonias prætermiserit, quamuis hæc faciendo peccent, ratus tamen est baptismus, & nullo modo iterandus.

12. Hyeme si ob nimium aquæ consecratæ frigus, infanti valetudinis aliquod timeatur periculum, prudenter cum aqua baptismali in pelui, aqua calida miscbitur: quæ ritè peracto baptismate non in fontem baptismatis, sed in sacram piscinam mittenda erit.

13. Licet Catholicæ Ecclesiæ definitio sit, vera Sacramenta apud hæreticos inueniri posse ideoque nec iteranda esse, quæ foris, licet illegitimè, integrè tamen data fuerunt: ea tamè nunc insipientium perfidia, crudelitas, & sæuitia hæreticorum est; vt quæ ad essentiam Sacramentorum pertinent, peruertant, & ab intentione faciendi quod facit Ecclesia, sacrilego rebellionis spiritu, prorsus discordent: vt re diligenter perspecta, non solum baptizandi ministerium inueniantur illegitimè usurpare, sed & magna impietate prophanare, omnemque baptismi Christi virtutem, quantum in ipsis est perdere, atque euacuare. Quare nisi certo constet, seruatam fuisse Ecclesiæ Catholicæ formam, materiam atque intentionem, sine omni scrupulo, iuxta formam ab Alexandro Tertio præscriptam: *Sit ues baptizatus te iterum non baptizo; si uero nondum es baptizatus ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* in Ecclesiam recipiendos esse censemus, qui ab hæreticis huius temporis baptizati fuerunt.

14. Eadem seruetur forma, quando cunque alias re di-

Kkk 3

ligen-

epist. 1. cap. 9.
Concil. Lateranen. sub Innocentio 3. c.

ca. Quod quidam. Quest. 1.

Ibid. & ca. Romanus Pontifex & sequentibus. De consecrat. Dist. 4. & ca. Hi de quibus. ibi. & sequent.

Libro 3. Decret. De Baptismo & eius essentia. ca. De quibus.

D. Leo epist.
37.

ligenter perquisita & (longo tempore si opus, ac nullo impediante periculo integrum fuerit) examinata, de aliquo incertum est, an baptizatus sit an non; seu quando dubium relinquatur, an de substantia Sacramenti huius quidquam prætermisum, vel peruersum fuerit.

15. Huiusmodi casus sunt:

1. Quando infans ob dubiam eius valetudinem, ac vitæ periculum quod imminere putabatur, à laico perfunctoriè baptizatus fuit, nec Pastori clarè constare potest, de adhibita legitima materia, vel forma, vel an actus ablutiois vno temporis momento, cum prolatione formæ concurrerit.

2. Quando in difficili ac periculoso partu, exerta ex materno vtero manus, brachium, pes, aut cuiuscunque alterius membri pars, ablutioem baptismalem suscepit, secus autem est, si emerferit caput, illudq; ritè baptizatum fuerit: Hoc enim casu nec sub conditione, repetendus postea baptismus est, etiamsi non cognito sexu, aut viro fœmineum, aut fœmellæ virile nomen fuerit impositum. Nihil enim illud baptismi integritati detrahit, atque mutatione nominis corrigere hunc errorem licet, nulla sacri Baptismatis facta repetitione.

3. Quando in partu geminorum aut plurium, vbi exertum infantis caput, quod baptizatum fuerat, in vteru maternum se recipit, ac de se dubitandi postea præbet occasionem.

4. Quando expositus infans nullum certum ac infallibile baptismi sui præ se fert testimonium.

5. Quando qui inter infideles aut hæreticos educatus est, vtrum baptismi Sacramentum perceperit, infantia inscientia non potest reminisci; nec sollicita indagatio-
ne inuenitur, qui testimonio suo iuuare possit, ignorantiam nescientis.

16. Ne leue crimen reputetur ab hæreticis baptismum accipere; & hi qui hæreticis baptizandos obtulerint, & qui
abil-

D. Leo epist.
37. cap. Par-
uulos & se-
quent. De cõ-
secrat. Dist.
4. Conc. Car-
thag 5. ca. 6.
D. Greg. PP.
Primus l. 12.
epist. 31

ab illis fuerint baptizati, ex sacrorum Canonū sententia, atq; censura puniantur.

17. * Cum sine maxima Sacramenti iniuria, seu sacrilegij crimine, atq; irregularitatis macula sacrum baptismatis lauacrum, quod semel ritè peractum est, iterari non possit, diligentissimè ab ijs, qui baptizandum sistunt perquirèdum est, num eum aliquis baptizauerit, & vltterius qua forma, quaq; materia baptizans vsus fuerit, & si nihil essentialibus, seu substantialibus Sacramenti huius deesse inueniatur, sed exorcismos duntaxat, & sacras cæremónias, cõmunesq; Ecclesiæ preces, quæ solemnè ritu ab Ecclesia Catholica in Baptismo adhibètur; illa, Baptismi nulla facta iteratione, † ne sub cõditione quidè adhibeatur; & si ex hæresi aut schismate venerit, vel Catechumenus Catholicus, ab heretico vel scismatico baptizatus fuerit; facta solèni fidei professione, p̄ manus impositionè, inuocata virtute Spiritus sancti, quã ab hæreticis vel schismaticis accipere nõ potuit, Catholicis copuletur.

18. Vt ne facilè in substantialibus Baptismi error cõtingat, ea quæ ad essentiam Baptismi pertinent, clarè & breuiter, quotiescunque dabitur occasio, ex Catechismo Concilij Tridentini, pro Concionibus exponantur, nullaq; admittantur ad obstetricandum mulieres, nisi prius per Pastorem loci, vbi obstetricaturæ sunt, examinatæ, & si opus fuerit instructæ fuerint.

19. * Instruendæ autè erūt obstetrices, nõ solū in his quæ ad formã (quam à laicis vernacula lingua proferri volumus) materiam, intentionem, modumq; baptizandi, præsertim in difficili partu obseruandū spectant; sed & vt os parturientis (si moriatur) apertū teneat, & mortuæ vterū, tempore aperiri, infantemque si superuixerit baptizari; si autem sine baptismo mortuus fuerit, extra cæm iterium loco separato, à sepultura fidelium Christianorum sepiliri curent; & vt nunquam aut ipse baptizare infantem præsumant, vel ab alio quam à proprio Sa-

Vide *Conr. Ilerdese sub Theodorico*

rege. ca. 13. et cap. Qui in qualibet. 1. Dist. 7.

* *D. August. epist. 203. D. Leo ep. 37. et 92. ca. 16. De consecrat.*

Dist. 4. cap. Hi de quibus. Synod.

Diocesana sub Adolp. 3. habit. anno 1549. 2. Off.

pa. 462. a. b. et in præparatorijs ad

visitatione. pa. 475. a. b. De consecrat. Dist.

† Cõc. Arela. 1. ca. 8. Conc.

Arelaten. 2. c. 17. ca. Manus im-

positio et cap. Hi qui. 1. qu.

1. c. Ab anti qua De consecrat. Dist.

4. c. Siue hereticus ibi.

Cõc. Arausico. sub. Leone 1. ca. 2. Statut.

*Sifrid. ca. 4. pag. 38. a. **

Stat. Sifrid. c. 4. pa. 38. b. Syn. Dioces. sub Adolp. 3. anno 1551. tra-

bit. art. 6. pa. 3. c. 4.

Conc. Laodi-
cens. ca. 47 c.
Spiritus
Sanctus 1.
Reg. 1.

cerdote baptizari permittant, nisi mortis periculum cogere videatur. Quo casu sine exorcismis, catechismis, vntionibus, cæterisq; solemnibus Ecclesiæ ritibus baptizatum, ante nonum diem nisi valetudo excuset, ad Ecclesiam perferri satagant, & hæc quæ prætermissa fuerunt solemniter adhiberi. Monendæ etiam, vt baptizandi solemniter, caput, pectus, & scapulas denudent, ac suscipiendo baptismo, sacrisq; vntionibus debito modo præparent, ac linteola; quibus post Chrismatis vntionem infantium capita absterguntur. Sacerdotibus relinquât, vel in Sacros vsus, si fieri poterit adaptanda, vel ne ad prophana vsurpentur, in sacros cineres comburenda.

20. Monstra quibus duo sunt capita, & diuisa pectora, quibus sua cuique propria inest anima, vt altero quiescente, alterum vitales operationes habeat, tâquam duo homines baptizentur. Quod si de distinctione suppositorum certo constare non possit, vnus quidem absolute, alter sub conditione baptizandus erit.

21. Amentes & furiosi, qui nunquam vsum habuerunt rationis, nec spes est quod eum accepturi sint, etiam inuiti ac repugnantes (si subsint Ecclesiæ) quouis tempore, ceu pueri & infantes baptizandi sunt. Qui autem per interualla insaniunt, si quando fidei ac rationis lumine illustrati, baptizari cupiuerint; non obstante infania ac furore, in periculo mortis similiter baptizandi erunt.

22. Quamuis infidelium pueri inuitis parentibus baptizandi non sint, hæreticorum & Schismaticorum tamen filij (quod Iurisdictioni Ecclesiæ subiecti sint) inuitis ac renitentibus parentibus sanctè baptizentur, modo pia cura non desit, vt quæ ad Catholicam, ac sanctam baptizatorum educationem, ac instructionem requiruntur, non negligantur.

23. Quò diræ & vesanæ Anabaptistarum hæresi occurramus, quæ inter alias hîc magnas vires sumere videtur (quod maximè dolemus) magistratum quarumcû- que

que Ciuitatum, oppidorum, & locorum huius Diocesis ac prouinciæ, monemus & requirimus, atq; à Pastoribus suis alijsq; Prælati, quando cūq; oportunitas videbitur, hortari ac requiri volumus; vt ne pro munere atq; officio suo quod ad defensionem Catholicæ religionis Deo & matri suæ Ecclesiæ debet, ad obstetricandum parturientibus, aliquam obstetricem tolerant, nisi quæ Catholicæ fidei, examinis atq; admissionis suæ, à Pastoribus suis testimonium habuerit, & præterea iurauerit, se singulis septimanis die sabbathi cuiq; Pastori denunciaturam, nomina & cognomina puerperarum, quibus in cuiusque Pastoris parochia adfuerit, cum numero prolium susceptarum. Pastores verò teneantur sub pœna Suspensionis, aliaque arbitria Episcopo aut eius Officiali, infra quindecim dies, à tempore huius cognitionis, indicare nomina & cognomina matrum, quæ proles suas baptizari non fecerint, eademque cum prolium non baptizatarum numero, in singulis Pastoralibus Synodis scripto exhibere, vt ab illis in Synodis Episcopalibus recenseantur, ac Synodi iudicio & sollicitudini committantur.

24. Semel minimū quotannis, in octaua nimirū Pentecostes (quando quidem Euangelium quod tūc proponit Ecclesia, optimam huius rei dat occasionem) singuli Pastores subditos suos grauitè admoneant, & quibuscunq; possunt modis inducant; vt infantes quos sciunt non esse baptizatos, sine dilatione baptizandos offerri curēt, & adolescentes aut prouectioris ætatis catechizandos adducant.

25. Ne propter Patrinarum multitudinem, vel ignorantiam Canoniarum sanctionum, ac cognationis spiritalis, quæ inter susceptores & baptizatum, & illius Patrem & Matrem contrahitur; aliqui in gradibus prohibitis matrimonia contrahāt; in quibus vel non sine magno salutis discrimine perseueratur, vel ea nō sine mag-

*Conc. Trid.
sess. 24. ca. 2.
cap. Non
plures. De
consecrat.
Dist. 4. c.
cap. Quāuis.
De cognat.
Spiritu. in 6. et*

cap. Pitatiū
30. Quest. 3
Stat. Sifrid.
ca. 4. pa. 38. b
† Inmādato
quod anno
1591. Domi
nica 6 post
Trinitatem,
quæ fuit 21.
Iulij publica
tum est, quod
incipit.
Quia parū
est.
*Ca. De alijs
Pastoralis
muneris fun-
ctionibus ar-
tic. Codices
præterea pa.
323.

Fide Nauar.
ca. 22. nu. 40.
Euchiridij.

Cap. Si vir.
De cognat.
Spir. Conc.
Magnus sub
Carolo Mag
no. cap. 55.

no scandolo dirimuntur: Districtè mandamus, vt Paro-
chi Decr. Cōc. Trid. de vno Patrino, aut vna Matrino, vel
ad summū vno & vna qaliàs publicauim⁹ † & obseruari
præcepimus, inuiolabiliter seruent; & si plures conue-
rint, antequā ad exorcisandum puerū accedant, diligen-
ter ab ijs, ad quos spectabit, sciscitentur, quem vel quos e-
legerint, vt baptizandum de sacro fonte suscipiant; & e-
um vel eos tantum ad illum suscipiendum admittant, &
in libro prout titulo de * Pastoribus à nobis mandatum
est, eorum, ac baptizati nomina describant, doceantq;
eos quam cognationem contraxerint, non solum patri-
nus sed ipse baptizans, si forte antea periculi causa à lab-
co baptizatus fuerit, & non Baptismi, sed exorcismorū,
Catechismi, ac Sacrarum vnctionum adhibendarum
causa, susceptus coram Parocho sistatur.

26. Si qui præter designatos atq; descriptos, inuitis Pasto-
ribus, se Patrinis ad tangendum baptizandum, instar
Patrinorum adiungant: declarent illos nullo patrino-
rum iure, aut obligatione teneri, nec vllum cognationis
spiritualis vinculum contraxisse. Quemadmodum nec
illi vllam Spiritualem cognationem contrahunt, qui
baptizatum in necessitate domi infantem, solum exor-
cismorum, Catechismi, & sacrarum vnctionum adhi-
bendarum gratia, in templum perferunt, & vngendum
sacerdoti leuāt. Annotabit nihilominus Pastor in bap-
tizatorum libro eorum nomina, qui ad huiusmodi sup-
plementum antea baptizatum obtulerunt, addetque eo
quod antea in necessitate administratum baptisma fue-
rat, suppletos tātum fuisse Catechismos & exorcismos,
& nullum tunc affinitatis spiritualis, quod matrimoni-
um dirimat, vinculum esse contractum.

27. Moneantur quoque parentes, vt ne in mortis qui-
dē articulo proprios filios, ad baptismū teneant, tanquā
eorundem susceptores, quia nec tunc Patrino opus est,
nec aliàs minus quam Patrini, ad præstanda ea filijs suis,
quæ

quæ Patrinorum sunt, iure naturæ obligantur.

28. Cum Patrinorum officium sit, adeoq; Deo & Ecclesiæ, solemnî cæremonia spondeant, se quos suscipiunt, in filios spirituales perpetuo esse habituros, ac in ijs quæ fidei, religionis atq; conuersationis Christianæ sunt, instructuros ac directuros esse; huius sponsionis ac obligationis suæ, vel ante vel post baptismû admoneantur; vt cognoscant se non solum fideiussores esse, vt in fide Catholica, ac Christiana conuersatione rectè instituantur, sed & in his in quibus bene instituti sunt, custodiantur; ac si, quod absit, à pijs, & religiosis institutis recesserint, nihil prætermittant, quod ad reducendos eos in viam salutis facere posse arbitrabuntur.

Cõc. pron sub Herm 5 parte 7 ca 4. Adol 3 in his, quæ à pastoribus & Decanis inquirenda sunt §. 20 pa. 485. c. & in his quæ à Laiis & plebe debent inquiri §. 33. pag. 500. b. Huius rei illustro exemplum est apud victorem lib. 3 Vandal. persecutionis.

29. Nulli ad suscipiendum baptizandum admittantur, de quibus constat, aut verisimile est, hoc Patrini officium præstare non posse, vel quod curis Pastoralibus impediatur, vel vitæ professione, ac Canonicis sanctionibus prohibeatur, vel quod in his quæ Patrinorum sunt, ipsimet Patrinis adhuc egeant, & ab alijs institui, dirigi, aut cogi opus habeant. Cuiusmodi sunt omnes hæretici, schismatici, infideles, Iudæi, non baptizati, vsurarij, excommunicati, interdicti, aut aliàs perditæ famæ homines, & qui ad festum Paschæ non sunt confessi, nec Sacramentum Communionem receperunt; qui orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum fidei, Decalogi & Ecclesiæ præcepta ignorant; aut ad annos discretionis nondum peruenerunt. Deniq; Pastores & omnes vtriusq; sexus religiosi; arcetur enim hi ab hoc munere, & professione vitæ, & sacrorum Canonum prohibitione; Illis verò, quod publicæ parochiarum curationi præpositi sint, ideoque plus satis ad curandam omnium & singulorum salutem obligati, Ecclesia per Patrinos solatium aliquod esse voluit, & per priuatam singulorû

D. Dionys. cap. vltimo Ecclesiæ, hierarch. D.

Aug. Sermo. 163. & 215. De tempore & epist. 23. ad Bonifaciû Et cap. Vos ante omnia. De cons. Dist. 4. Conc. Magunt. sub Carolo magno. cap. 47.

sum §. 20 pa. exemplum

Cap. in Baptismate. De consecr. Dist. 4. Cõc. pron. sub Herm. 5. par. 7. cap. 4. Adolph. 3 in his quæ à Pastoribus & Decanis inquirenda sunt §. 20. pag. 485. questio. 2.

cap. Placuit 16. Quest. 1. cap. Peruenit. 18. quest. 2. ca. Nõ licet. ca. Monachi. De cõsec. Dist. 4.

Conc. Antisiodorensis cap. 25. Cõc. Prou. sub Adolp. 3. ca. Quâuis in cõsuetudine &

Decretis. pa.

Decretis. pa.

LII 2

Patrini

449 Catechis. Conc. Trid. vbi agitur de Patrinis.

Patrinorum curam atq; affinitatem, eorum curas ac onera subleuare.

30. Ne de patrinorum fidei integritate, ac doctrina aliquando dubium esse possit, hæc quæ in fidei professione exiguntur, antequam ad Baptisma procedatur eis proponantur: & priusquam ad suscipiendum baptizandum admittantur, interrogentur nū in his, quæ ab aduersarijs fidei hac tempestate in controuersiam vocantur, sic credant & sentiant, sicuti à sancta & Catholica Romana Ecclesia, in sacra ac Oecumenica Synodo Tridentina, credendum esse, decretū ac definitum est, atq; nū in ea fide susceptos suos, pro viribus suis instituere, dirigere ac protehere velint, & quantū in se est curare, vt eā vsq; ad extremū vitæ Spiritum constantissimè teneant, confiteantur, doceant, ac prædicent. Quod si facere renuant, eos reiciant, & in eorum locum subrogari alios, ab ijs quorum id curæ est, curent.

31. Curent præterea Parochi, omni studio ac diligentia, vt quæ in Concilijs Prouincialibus sub Hermanno Quinto Anno 1536. & sub Adolpho tertio, Anno 1549 ac in Synodo Diocesana Anno 1550. feria quinta post Remigij, sub eodem Adolpho tertio habita, de moderandis atq; abrogandis, in die Baptismatis conuiujs, epulis, ac cōpotationibus sancita sunt, in vsum ducantur. vt ne (sicut ferè videre est) immodicis symbolis atq; donarijs, & patrini & baptizatorum parentes consumantur, multo quæ ære alieno grauētur, breui horâ inutiliter ac prodigè profundèdo, quo se ac familiam suam, in multa tēpora, honestissimè alere, ac sustētare potuissent. Moneantq; Patrinos, vt quæcunq; susceptos suos docere, ac monere tenentur, non minus sancta conuersatione, ac religiosa vitæ exēplo, quā verbis ostendant, & Christianā charitatem, temperantiam, modestiam, castitatem, omnemque iustitiam, ab hoc ipso die, nouo quodam vigore, in sua conuersatione commonstrent.

31. Pro-

Concil. prouinc. sub Hermanno 5. par. 7. cap. 11.
Concil. prouinc. sub Adolpho 3. cap. 1.
Detestanda, in censuris & Decretis pag. 449. b.
Synod. anni 1550. in mōdato cuius initium est Quam inter omnia pag. 517. b.
Ca. Vos ante omnia de consecrat. Dist. 4.

32. Procuratoris nomine, nemo ad Patrinorum officium admittatur, nisi Regum duntaxat ac Principum legati. Nec vnquam aduocandorū Patrinorum causa, vltra octauum diem Baptismus differatur. Nam vt humana necessitudines sese latius funderēt, & Christiana charitas ad quā plurimos sese extenderet. faciliusq; ac magis sese in actum proferret, non tam ex cognatis & propinquis, quam ex alijs Patrinos assumendos esse Ecclesia voluit, ideoq; illos nouo affinitatis spiritualis vinculo, & baptizato, & illius patri ac matri arctissimè coniūxit. Doceantur autem Regum & Principum legati se ipsos & nō Dominos suos quorum nomine venerant, cognitionem spiritualem contraxisse, & sponsonis suæ multo magis se, quam Dominos suos, Deo atq; Ecclesiæ debitores esse.

*Vide vitam
sanctæ Elisa-
bethe vxoris
Langrauij à
Conrad. mi-
nor. conscrip-
Stat. Sifrid.
cap. 4 pag.
3^b.*

*Vide Sotum
in 4. dist. 42.
quæst. 1. art. 2*

33. Nec in Patrinorum, nec in parentum gratiam patiantur Parochi, gentiliū nomina baptizandis imponi; sed vt sacramentis nomina congruant, ac ea quæ huiusmodi sunt, verè, vt stercora ac stultitia reputentur, quæque Christiani sunt hominis, non sacramento tantum, ceteronijs, ritibus, nudaq; professione, sed nomē clatura adeoq; re ipsa, & vitæ conuersatione exprimantur: illorum nomina baptizandis imponantur, quorum vitæ exemplo, ad quælibet Christiani hominis officia, quasi manu ducantur quorumq; inuocatione, meritis, patrocinij, atq; intercessionibus in omnibus animæ ac corporis molestijs superandis plurimum adiuuentur.

*Chrysof. Ho-
mil. 21. in Ge-
nesim.*

34. Adulto baptizando æquè ac paruulo Patrinus assistat, qui illum vltèrius instituendum, prouehendum, ac custodiendum suscipiat: non tamen Patrinus pro eo, sed ipse Catechumenus ad interrogata respondeat, si quidem ætatem habet.

*De cōsecrat.
Dist. 4. cap.
Cum pro
paruulis.*

35. Verus ac religiosa illa consuetudo, qua mulieres confirmata à partu valetudine, cum in publicum proditurae sunt, antequam alio digrediantur, primum ad Ecclesiam

*Dist. 5. cap.
si mulier. De
purificatione
mulier. cap.
vnico.*

clesiam suam Parochialem se conferunt, vt Deo probe-
 neficio puerperij agant gratias, eiusq; benedictionem,
 Sacerdotum intercessione consequantur: præcepto no-
 stro, suaque commédatione, atq; exhortatione, in vsum
 reuocent Parochi, omnesq; concionatores; non quidem
 muneris aut oblationis gratia; à quo eos animum pro-
 fus liberum, ac alienum gerere volumus; sed solius in-
 tuitu pietatis. Mulieres vero quæ ex illicito concubitu
 pepererunt, tanquam infames ab hac benedictione, re-
 pellant, benedictionemq; hanc, ex modo & ritu quem
 liber ritualis suæ Diocæsis præscribit, soli Pastores cori-
 q; Vicarij faciant; Religiosi autem alijq; Sacerdotes, qui-
 bus pastoralis cura non incumbit, sub pœna suspensio-
 nis eam ne facere præsumant.

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

I.
 Concil. pro-
 vinc. sub Her-
 miano 5. par-
 te 7. cap. 8.
 Adolp. 3. in
 his que ab
 hereseos in-
 simulatis in-
 quirèda sunt.
 §. 17. 18. 19.
 pag. 503. a b.
 cap. 1. & 2. De
 cōsecrat. Dist.
 3. Urbanus
 PP. in episto-
 ad omnes
 Christianos.
 Melchiades
 PP. ad Hisp.
 Episcopos.
 Concil. Flo-
 rent.

Q Vanquam collatio Sacramenti Confirmationis E-
 piscoporum sit, non prorsus tamen ab eius tractati-
 one abstinere debent Pastores alijq; Sacerdotes. Nam cū
 ad excitandos, erigendos ac confirmandos Christi fide-
 lium animos, à Christo Domino fuerit institutum, vt
 aduersus omnes carnis, mundi, & Diaboli, impetus, atq;
 insidias imperterriti, magnaq; animi constantia persi-
 stāt; & fidem suam, non solum nunquam erubescant, sed
 in ipsis opprobrijs, irrisionibus, persecutionibus, ad ex-
 tremum vitæ Spiritum, alacriter, magnaq; in Deum fi-
 ducia, & charitate confiteantur; adeo vt animi virtus, ip-
 sis iniurijs, vexationibus, & persecutionibus, suis efflo-
 rescat, augustior atq; robustior fiat: opus sane nunc est,
 vt Episcopi, Pastores, atq; omnes Concionatores, eo ma-
 iori diligentia, sollicitudine, ac zelo in explicacione, ac
 cōmendatione huius Sacramenti nunc versentur; quod
 videant, multos hac tēpestare illud contēnere, atq; alios,
 eo quod huius Sacramenti gratia confirmati non sint
 eiusue